



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Arbores & siluas esse mortis indices.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

II.

Pier. Valerīā,  
lib. 52.

Pier. loc. cit.

Propert. li. 4;  
eleg. 12.Catull. 5. e.  
pigr.

Sapi. 2. 1;

Virgil. lib. 12.  
Æneid.

Sapi. 2. 3.

Eccl. 11. 3.

Hæc ne desit, etiam silvas de campo intrantibus occur-  
runt imagines mortis. Ibi Cypressus arbor olim, in ostentis;  
mortis indicium fuit: vnde mortis esse hieroglyphicum non-  
nulli affirmauerunt. Quod etiam de pinu arbore tradit Pierius:  
nam de hac arbore obseruatum est, illam semel excisam, num-  
quam suppululascere.

*Cum semel intrarunt infernas funera leges,  
Non exorato stant adamante via.*

Et, vt alias Poëta canit:

*Soles occidere, & redire possunt,  
Nobis cùm semel occidit breuis lux,  
Nox est perpetua una dormienda.*

Ita dixerunt & illi: Non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis: quin  
& illud præmiserunt: *Exiguum, & cum tadio est tempus vita no-  
stra.* Idem natura nobis dicit in pinu, quam vel in nemore, vel  
in monte stantem videmus. Multò autem clariū, si eam vel bi-  
penni, vel vento deiectam aspiciamus. Immò de omni ligno  
non reuirescente cogitatio hæc oriri potest, quæ orta est regi illi,  
qui apud Principem Poëtam ita loquitur:

*Vi sceptrum hoc (dextrâ sceptrum nam fortè gerebat)  
Numquam fronde leui fundet virgulta, nec umbras:  
Cùm semel in silvis imo de stirpe recisum  
Matre caret: posuitq; comas, & brachia ferro,  
Olim arbos: nunc artificio manus are decoro  
Inclusit, patribusq; dedit gestare Latinis.*

Ad eundem modū homo, Platoni inuersa arbor, vbi semel fue-  
rit excisus, non refloresceret. Non est, qui agnitus sit reuersus ab in-  
feris. Etiamsi, instar cypressi extulerit caput, humiliabit-  
ur, & deijectur in terram; quare arbor omnis agit mortis præ-  
conem, siue in silvis, siue in horris aspiciatur. Occurrit enim  
cernenti illud Ecclesiastæ: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad  
Aquilonem, in quocumq; loco ceciderit, ibi erit.* Quin & si finem il-  
lius stragis intueamur, in mentem veniet, illud lignum vel in-  
capulum futurum, vel etiam pabulum ignis. Neque suo dumta-  
xat casu, aut senio, & ariditate nos erudiunt arbores, sed omni-  
bus per orbem redeuntibus autumnis. Tunc enim, sicut homi-

ni senescenti defluunt capilli, ita bruma arborum comas decutit. Quot folia, tot cadavera humi jacent. Sic idololatras comparavit Isaías, quibus dixit: *Eribescetis super hortis, quos elegeratis,* Isa. 1. 29. *cum fueritis velut quercus defluentibus folijs.* Sic seipsum lob non minans dixit: *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam.* Sicut enim alia folia, dum flaccescunt, sponte decidunt; alia siluifragis flabris vexata violenter à ramis abripiuntur: ita alios homines leuis aura afflat, & necat; alios autem balistæ, aut tormenta bellica, aliæve mortis arma è medio tollunt. Denique quid horrentes altorum nemorum umbræ aliud nos jubent cogitare: quām cum Dauide: *Humiliaisti nos in loco afflictionis, & cooperiuit nos umbra mortis?* Si enim Ethnicus Cicero Cic. lib. 1. de scripsit: *Me hac tua platanus admonuit, quæ non minus ad opacan-* orat. *dum hunc locum patulis est diffusaramis, quam illa, cuius umbram secutus est Socrates (admonuit autem ad differendum) cur nos arborum siluarumque non admonerent umbræ, ad philosophandum de morte?* *Hesterni quippe sumus, & ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.* Iob. 8. 9.

Quod si flores in pratis, fructus in ramis, flamas in focis, vndas in fluvijs intueamur, quid aliud, quām quædam simulachra mortis videmus? De floribus Iob in hunc modum pronuntiat: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet.* Et profanus quispiam dicit ait:

*Nos quoque floruumus, sed flos fuit ille caducus.*

Atque alias. *Collige, virgo, rosas, dum flos nouus, & nona pubes, Sed memor esto euum sic properare tunum.*

Quantum enim non properant ad interitum flores?

*Florent lilia manè, nocte flaccent.*

Ob quam ipsam caussam etiam Seruator dixit: *Considerate lilia agri. Quid ni & gramina, è quibus fit foenum?* Omnis enim caro fœnum. Quid ni & spicas in altum surgentes, quæ desinunt instramen, & stipulam fccam, qualem se patientiæ exemplar nominavit? An non & Tarquinius, cùm in horto virgâ decuteretur summa papauerum capita, filio per tabellarium mortem Principum

III.

Iob. 14. 1.

Matth. 6. 28.

Isa. 40. 6.

Iob. 13. 25.